

§. 2. Quod itaque attinet Etymologiam hujus nominis, origine vox illa Græca est, & descendit à δαίω disco, scio: Imposuerunt Gentiles suis Diis & oraculis olim hoc nomen, hanc fortean ob causam, quia futura præscire ac prænuntiare videbantur. Hebræi vocabulum דַּיִם usurpant pro Dæmone à דָּוָה Vastavit, devastavit, deductum, quod in præsentem ad nostrum institutum magis facit, siquidem nos vocem Dæmonis hoc in labore pro malis Angelis acceptam volumus, quos rectè Vastatores appellare licet; quamvis & τὸ δαίμων hodierno tempore abiogato hujus voculæ usu gentili semper in mala acceptetur parte, ut infra in Homonymia uberius proponetur.

§. 3. II. Synonymiam hujus vocis ex Scripturâ præprimis petere licet. Sic enim Dæmones vocantur Spiritus absolutè Matth. 8, 16. I. Cor. 6, 3. Spiritus immundi Marc. 5, 2. 8. Matth. 12, 43. Apoc. 18, 2. Spiritus mendaces. I. Reg. 22, 22. Spiritus Dæmonum Apoc. 16, 14. Potestates æris & Reges hujus Mundi Eph. 6, 12. Rarius Angeli Mali Matth. 25, 41. I. Pet. 2, 4. Quæ in Bibliis alia ipsis attribuuntur nomina, prætereo.

§. 4. Ut. III. Homonymiam paucis tangamus. τὸ δαίμων apud Ethnicos fuit acceptum tum in bona, tum in mala parte, ut enim vult Lactant. l. 2. & Conr. Gesn. in Pand. l. 15. tit. 4. illi tum bonis, tum malis Spiritibus hunc insigniverunt titulum. Sic quoque Plato θεῖος dictus fuit, quod magis de rebus divinis docuerit; Aristoteles δαιμόνιος, quod de humanis & naturalibus; hodiernis autem seculis in malam recessit significationem, ita, ut non nisi per malum Angelum in scripturis exponatur, quo in statu & nos in præsentem ad nostrum institutum applicabimus. Tantùm sufficiat de Onomatologia, plura fortean circa illam

A 3 occur.